

**1997-02-07- SS Ioannes Paulus II - Epistola 'Fratri Nostro Bernardo Francisco Cardinali Law'**

LETTERA DI GIOVANNI PAOLO II ALL'EMMO CARD. BERNARD LAW, SUO INVIAUTO SPECIALE AL CONGRESSO EUCARISTICO PER I PAESI DELLA REGIONE DEI CARAIBI (PORT OF SPAIN, 17-20 APRILE 1997)

Venerabili Fratri Nostro Bernardo Francisco S.R.E. Cardinali Law Archiepiscopo Bostoniensi

Iucundo quidem animo cognovimus Eucharisticum ex omnibus Caribicae regionis Nationibus Congressum studiose apparari, qui proximo mense Aprili inter dies XVII-XX Portu Hispaniae, in urbe principe Civitatis Trinitatis et Tobagi, sollemniter celebrabitur. Conscii cum simus nihil religioni fidelium ac pietati magis prodesse posse quam eiusmodi Conventum, in quo cogitationes et studia ad suavissima Corporis et Sanguinis Christi mysteria salutari cum animorum progressu adiciuntur, Nos non modo incepta et apparatus huius proximae Congregationis libentissime probamus, sed etiam quodam modo adesse cupimus. Quare peropportuna Nobis exhibetur occasio, ut Nosmet Ipsi dilectos filios, illis in regionibus commorantes, merita laude honestemus celebrationemque indictam Nostra quadam praesentia et auctoritate adaugeamus.

Te igitur, Venerabilis Frater Noster, qui insigni Sedi metropolitanae Bostoniensi moderatis et peculiaribus caritatis vinculis cum Caribicis fidelibus es devinctus quique in supremum Ecclesiae Senatum cooptatus Romanae purpureae magnificentia prae fulges, hasce per Litteras MISSUM EXTRAORDINARIUM Nostrum eligimus ac renuntiamus, ut huic Eucharistico Congressui, qui ex universa Caribica regione in urbem Portum Hispaniae cogetur, Nostro nomine Nostraque auctoritate praesideas. Certam autem spem tenemus te, pro intensa tua in Augustum Sacramentum pietate, per honorificum huiusmodi Missionis munus feliciter utiliterque esse peracturum.

Iis omnibus, qui illuc convenerint, paterna quoque vota Nostra significabis, per quae maiorem in dies prosperitatem ominamur Caribicis gentibus, quas ne longus quidem terrarum marisque tractus ex animo Nostro avellere potest. Omnes hortaberis ut magis magisque Sanctissimam Eucharistiam, unitatis Sacramentum caritatisque vinculum, adorare atque sumere studeant. Deum interea impensa prece exoramus ut, ex hac Eucharistica Congregatione, laeti uberesque percipientur fructus in ecclesiis civilisque consortionis utilitatem. Quorum caelestium donorum conciliatrix peculiarisque Nostrae dilectionis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, iisque omnibus qui sollempnibus ritibus intererunt peramanter in Domino impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die VII mensis Februarii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

IOANNES PAULUS II